

nisi infiniti boni adeptione, quæ in aperta divinæ pulchritudinis visione consistit, repleri non potest.

Quæret autem aliquis, quoniam modo intellectus nostri acies, adeo hebes, ut nec animæ quidem suæ substantiam intelligere possit, ad illius altissimæ & incomprehensibilis naturæ cognitionem assurgat, quæ (a) *lucem habitat innaccessibilem*, quæque (b) *posuit tenebras latibulum suum*; de qua in libro Job scriptum legimus: (c) *ecce Deus magnus vincens scientiam nostram*? Huic igitur quæstioni respondemus, mentis nostræ aciem singulari quodam gloriæ lumine acuendam simul & elevandam, ut hanc splendidissimam lucem intueri valeat.

* Quod quidem lumen Theologi conspicillis simile esse dicunt, quibus imbecilles oculi a se longe disita, illisque inaccessibleia, cernere possunt. Quod ergo oculis infirmis conspicilla, hoc lumen gloriæ menti nostræ dabit; ut resecta facie immensam Dei pulchritudinem videat: quam tamen adeo non comprehendet, ut infinita in ea subsint, quæ nulla creata mens assequi possit. Idemque gloriæ lumen efficiet, ut quam-

vis altissima illa natura summa simplicitate prædita sit, inter sanctos tamen alius alio, pro varietate meritorum, plura videat; quia majore gloriæ lumine illustratur. Sic enim aquila & homo eundem Solem vident; quem tamen aquila plenius videt, quia videndi sensum perspicaciorem habet.

Sed quæretis rursus, an qui minus videt, plus videre, aut etiam comprehendere cupiat? Ad hoc igitur respondemus, quod quum comprehendere solius divinæ naturæ sit, in creaturarum desiderium cadere nullo modo potest: sicut nec in homine volandi cupiditas, quæ avium propria est. Quamvis autem, ut ante diximus, infinita sint in summa illa natura, ad quæ nulla beatarum mentium attingere queat; earum tamen voluntas propter eminentem gratiam tanta rectitudine a Deo donabitur, ut sua sorte contenta nihil aliud concupiscere possit, quam quod habet. Hæc est igitur, fratres, beatitudo, hæc plena felicitas, hoc extremum expetendorum, hic ultimus humanæ vitæ finis, ad quem omnes, qui christiano nomine censemur, aspiramus.

§. II.

(a) 1. Timoth. 6. 16. (b) Psalm. 17. 12. (c) Job 36. 26.

§. II.

Nunc, quoniam de fine, hoc est, de portu felicitatis nostræ diximus, consequens est, ut de itineribus etiam, quibus ad eam pervenitur, pauca dicamus. Quam quidem quæstionem breviter & aperte satis ipse felicitatis auctor absolvit, qui juveni felicitatis hujus cupido ait: (a) *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Exiguo sane pretio æternam vitam nobis promittit, quam ipse sanguine suo comparavit. Vere, Domine, (b) pro nihilo salvos fecisti nos; quamvis non de nihilo redemeris. Quid enim magnum est, Deum proximumque diligere, in quibus mandatis universa lex pendet & prophætæ?

* Ceterum quemadmodum ad munimentum civitatis, quæ in hostili terra sita est, non modo murorum præsidia, sed etiam antemuralia excogitata sunt: ita Dominus ad mandatorum, quasi ad murorum, custodiam, evangelica quoque addit consilia, quæ velut antemuralia sunt, quibus mandatorum muri tuti & incolumes conservantur: de quibus præcipue in hodierna sancti evangelii lectione agitur. Quæ quidem consilia

usque adeo viam nobis ad beatitudinem muniunt, ut ea de causa beatitudines sint appellatæ. Hoc enim esse dicuntur, quod efficiunt, quodque officio suo nobis conferunt. Has autem cælestis magister, cum alias, tum præcipue in præsentis lectione explicat: in qua ex omnium virtutum choro octo potissimum elegit, quæ quam maxime nobis ad beatitudinem viam sternunt, per quam omnes sancti eo pervenerunt. Omnes enim pauperes spiritu, omnes mites, misericordes, mundi corde, & pacifici fuerunt. Omnes, dum hic agerent, esurierunt & sitierunt justitiam; omnes piis lacrimis & sua & aliorum delicta luxerunt; omnes varias mundi infestationes, propter tuendam pietatem & justitiam, perpessi sunt: ideoque plenissimam modo laborum suorum mercedem in cælo percipiunt.

Quamvis autem omnes in omni virtutum genere floruerint; in aliis tamen alii, Deo ita propter ecclesiæ suæ decorem disponente, magis enituerunt: atque in hunc modum singularem sibi quisque viam ad beatitudinem elegit: quod propositis exemplis facile commonstrabo.

Pri-

(a) Matth. 19. 17. (b) Psalm. 55. 8.

Prima enim beatitudo, paupertas spiritus est: quam D. Franciscus sic arripuit, ut dies noctesque vix aliud cogitaret, quam ut nullus inter homines se pauperior inveniretur. Nemo enim inter avaros tanto studio opes, quanto ille inopiam, & rerum omnium egestatem concupivit: nullus invidorum tantum splendidæ aliorum fortunæ invidit, quantum is, si quem forte ex mendicis magis aut egentem aut nudam vidisset. Quot modis ille hanc virtutem commendavit? quot titulis insignivit, illam nunc dominam suam, nunc sponsam, nunc reginam, & regis æterni sponsam appellans? Denique rogatus semel a fratribus, quæ res maxime homines Deo conjungeret; paupertas, inquit, ac terrenarum opum contemptio. Harum enim amore superato, mens nostra, terrenis vinculis soluta, sponte sua in caelestia tamquam sibi cognata & naturæ suæ finitima perducitur. Ut enim magnes ferrum, propter occultam quamdam utriusque naturæ cognationem, ad se in aëra elevat, & immobile atque suspensum tenet: ita mentem, a terrenarum rerum amore purgatam, Deoque jam similem

effectam, facile Deus ipse ad se rapit, & arctissimo caritatis nexu sibi devincit.

Post hanc vero paupertatem sequitur germana illi & vicina mansuetudo, de qua Salvator ait: *beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Hac quoque communis sanctorum omnium virtus fuit. Unde frequenter in sacris litteris mansuetorum nomine appellantur. Hanc tamen virtutem sacrae litteræ Moysi præcipue tribuunt; sic enim legimus: (a) *erat autem Moses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Summus namque ille mundi moderator, quem populo suo magistrum & rectorem præferat, furore & ira carere, & mitissimum super omnes homines esse voluit. Cujus rei, ut alia prætereamus, illud argumentum est, quod quum toties ab ingrato & rebeli populo lapidibus impetitus fuisset; tamen ubi Dominum adversus illum iratum, propter vituli scelestissimum facinus, vidit, (b) quadraginta diebus jejunos ante illum persistit, teterrimi illius criminis veniam deprecans, & se anathema pro illis fieri cupiens. Nec in hac laude inferior David exstitisse videtur,

(a) Num. 12. 3. (b) Exod. 34. 28.

tur, qui Saulem atrocissimum hostem quum opprimere sæpe potuisset, (a) nulla in re violaverit: quin & ejus interfectorem morte multavit, (b) ejusque mortem acerbissimo planctu scisis vestibus prosequutus est; eosque, qui ejus corpus sepultura tradiderant, magnis se honoribus affecturum (c) pollicitus est. Denique hanc unam ex virtutibus suis ante Deum proponit, quum ait: (d) *memento, Domine, David, & omnis mansuetudinis ejus.*

Sequitur deinde tertia luctus & lacrimarum beatitudo, quæ virtus in prophetis potissimum eluxit; qui non modo peccata hominum zelo divini honoris corripiebant, sed pio etiam compassionis affectu lamentabantur. Inter quos enituit præcipue Jeremias, ab utero matris sanctus, qui vitam omnem ab ipsa etiam pueritia in luctu & lacrimis consumpsit. Neque tanto lacrimarum imbri contentus, ubiores etiam fletus se exoptasse ostendit, quum ait: (e) *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo die ac nocte?* Sunt autem duplices lacrimæ, ut duplex est etiam

tristitia; altera, quæ secundum sæculum; altera, quæ secundum Deum est. Illa est, quum aut temporalium rerum jacturas, aut nostrorum funera immoderato luctu prosequimur: quam in sancta Paulla, filia mortem acerbissimo dolore plangente, D. Hieronymus reprehendens ait: *mens ista, quæ plangit, sericarum vestium est.* Altera vero est, quum male actæ vitæ scelera desilemus; quomodo sanctus ille rex desiebat, quum diceret: (f) *lavabo per singulas noctes lectulum meum: lacrimis meis stratum meum rigabo.* Has porro lacrimas D. Chrysostomus peccatorum tantum, non etiam aliarum rerum, medicinam esse ait: quod non vulgari ratione confirmat. Si enim vel filium, vel virum, vel uxorem, vel opes amiseris, teque lacrimis conficias; nullum his calamitatibus remedium invenies; at vero si peccata lacrimis prosequare, eadem protinus sustulisti. Unde patet eas veram esse ac propriam peccatorum medicinam. Quæ res merito inter has beatitudines numeratur, quando, ut Apostolus ait, (g) *tristitia, quæ secundum Deum est, pœnitentiam in salutem*

(a) 1. Reg. 24. 5. (b) 2. Reg. 1. 15. (c) 2. Reg. 2. 6. (d) Psalm. 131. 1. (e) Jerem. 9. 1. (f) Psalm. 6. 7. (g) 2. Corinb. 7. 10.

lutem stabilem operatur.

Sequitur deinde quarta via eorum, qui esuriunt & sitiunt iustitiam: inter quos sanctus Daniel ita emicuit, ut ab angelo, (a) *vir desideriorum*, nuncuparetur. Sed cur Dominus, esuriendi & sitiendi, pro desiderandi verbo usus est? Certe, quia quum cibo aut potu vehementer indigeamus, sic harum rerum desiderio afficimur, ut cetera omnia, quamlibet sint pretiosa, pro his adipiscendis facile vel deseramus, vel commutemus. Si enim homini fame aut siti pereunti totius mundi aurum, aut etiam imperium, citra panis tamen aut aquæ copiam, obtuleris; pro nihilo ducet. Ut enim philosophus quidam, Aristotele referente, de jumentis dixit, ea videlicet malle fœnum, quam aurum: ita homines etiam, urgente fame, cunctis mundi opibus panem præferent. Hac de causa E'au lassus, & fame oppressus, ut cibum a fratre redimeret, primogeniti dignitatem vendidit, dicens: (b) *en morior, quid mihi conferent primogenita mea?* Sic etiam Lysimachus Thraciæ rex, ab hostibus obsessus, propter aquæ penuriam, se & regnum hosti

tradidit. Ubi vero allatam sibi aquam sitibundus bibisset: o, inquit, *quam exigua res me ex rege captivum fecit!* Quum ergo Dominus his verbis, sitiendi & esuriendi, pro desiderandi usus fuerit; non quævis iustitiæ desideria, sed ea intelligi voluit, quæ præ magnitudine sua, quemadmodum vera fames & sitis, cetera omnia mundi bona parvipenderent: hoc est, quibus ita homines caelestium rerum cupiditate flagrent, ut propter ea consequenda pro nihilo cuncta ducant. Hujusmodi vero desideria sola mens pura, & ab omni immoderato terrenarum rerum amore libera, habere potest. Quid enim cause esse putatis, cur ægrotantium multi, quum edendi fastidio laborant, morte pejus cibum oderint, quem sani deperibant? Non alia certe est, quam quod stomachus, quum noxiis humoribus plenus sit, dum satis intra se habet hostium, cum quibus pugnet, alios admittere recusat. Quo tempore si adhibita pharmaca noxios illos humores expulerint, protinus idem, qui antea fuerat, edendi appetitus redit. Eadem igitur causa est, fratres, cur res omnium maximas atque

(a) Daniel. 9. 23. (b) Genes. 25. 32.

que pulcherrimas, nempe virtutes atque caelestia & divina munera, fastidiamus, quod noxiis vitiorum, variarumque cupiditatum humoribus mens nostra referta sit: quæ si a nobis poenitentia, & melioris vitæ medicamentis non excutimus, numquam aut iustitiæ, aut caelestium rerum famem & sitim patiemur: atque ita numquam salutarem illam mentis satietatem percipiemus, quæ ingredientibus & egredientibus inastimabilis suavitatis pascua præbet.

Proxima est huic, misericordiæ via; qua cum omnes sancti, qui viri misericordiæ in literis sanctis appellantur, ingressi, misericordiam consequuti sunt; tum illi potissimum, qui activam vitam, quæ tota in aliorum miseris sublevandis posita est, coluerunt. Misericordiæ autem nomine hoc in loco non tam effectum, quam affectum, misericordiæ significari credo. Illud enim solis tantum divitibus, hoc & divitibus & pauperibus commune est. Effectus enim misericordiæ in opere, affectus autem in voluntate est. In qua dives est, quisquis cum sanctissimo Job dicere potest: (a) *flebam quondam super eo qui afflictus erat,*

& compatiebatur anima mea pauperi. De his autem, qui hoc affectu præditi sunt, Dominus in præsentī lectione ait: *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Ex cuius verbis apparet, quam sit hæc virtus illis omnibus necessaria, qui misericordia Domini egent. Quis est autem inter mortales, qui ea non indigeat? Recte enim D. Augustinus: *væ etiam laudabili vitæ, si remota pietate judicetur.* Quum ergo omnes hac misericordia tantopere indigeamus, regia plane via ad eam consequendam, misericordia est: ut videlicet talem te ceteris hominibus præbeas, qualem tibi Dominum exhiberi velis. Quid autem in extremo illo iudicio virtus misericordiæ adversus vindicantem iustitiam valeat, Jacobus apostolus satis declaravit, quum ait: (b) *superexaltat autem misericordia iudicium:* hoc est, superior est in hoc certamine misericordia contra iudicium; vel, ut apertius loquar, triumphat misericordia de iudicio: quia videlicet, quos iudicii severitas premere potuisset, misericordia liberat & absolvit; dum apud misericordiarum parentem allegat, dignum esse miseri-

(a) Job 30. 25. (b) Jacob. 2. 13.

* ricordia qui in alios benignus & misericors extiterit. Non igitur immerito OEcumenius misericordiam oleo similem esse ait, quo athletæ in palastra luctaturi nuda corpora ungere solebant, ne agonotheris ullam corripienti ansam in lubricis oleo carnis præberent. Hoc ipsum autem misericordiae oleum judicandis præstat, ne videlicet vindex peccatorum iustitia habeat, unde illos accusare aut damnare queat, quos ab accusatione misericordia defendit.

Sequitur deinde sexta ad beatitudinem via, eorum, qui mundo sunt corde, de quibus Dominus: *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Sicut autem antecedentem misericordiae viam, qui activam vitam exerceverunt; ita præsentem illi præcipue sectati sunt, qui se totos contemplativæ vitæ studio dederunt. Horum enim præcipua cura fuit, mentis aciem ab omni labe atque terrena fæce purgare, quo splendidissimos Solis iustitiæ radios in ea velut in purissimo speculo recipientes, ampliori divinæ bonitatis cognitione irradiarentur. Ideo apposite satis huic puritati, divinæ lucis visio proponitur; quæ ut luscio-

sis & agris oculis odiosa, iramundis & puris est amabilis. Unde recte D. Augustinus Deum *purgata mentis sapientiam* significantissimo nomine appellavit. Illis namque solum Deus vere sapit, qui purgata mente sunt; cujus inastimabilis suavitas atque dulcedo est.

Septima ad beatitudinem via, pacificorum est, de quibus Salvator ait: *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Hi sunt, qui non modo ipsi intra se & cum aliis pacati sunt, sed pacem quoque inter alios conciliare student. Ut enim filiorum diaboli munus est, clanculariis delationibus seminare discordias inter fratres; ita contra filiorum Dei est, cunctos homines mutua benevolentia devincire. Amator enim & conditor hominum Deus, pacis & dilectionis est conciliator. Quo nomine Apostolus (a) ipsum *pacis & dilectionis Deum* appellat. Et alio in loco: (b) *non est, inquit, Deus dissensionis, sed pacis*. Isaias vero (c) Christum Dominum *principem pacis* appellavit. Si igitur hoc Dei nomen, hoc munus & officium est; merito ejus filii nuncupantur, qui ejus in hac parte imaginem referunt, qui totus in ju-

(a) 2. Corinth. 13. 11. (b) 1. Corinth. 14. 33. (c) Isai. 9. 6.

vandis & servandis hominibus intentus est, quique adeo humanæ pacis studiosus fuit, ut filium suum in mundum miserit, qui reconciliaret ima summis, pacemque denuntiaret his, qui prope, & his, qui longe erant. Tales igitur jure beati censentur, qui in hac vita filii Dei sunt, in futura vero heredes regni ejus erunt. Qua beatitudine quid majus excogitari potest?

Sequitur postrema & perfectissima beatitudo, quam magister cælestis in extrema sacræ hujus lectionis parte collocavit, quum ait: *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum calorum*. Hæc enim ut extrema, ita summa hujus vitæ felicitas est, ad quam cetera ordinantur. Neque enim altius aut caritas, aut ulla præcedentium beatitudinum ire potest, quam ut homo non modo justus sit, sed etiam persecutionem propter justitiam patiat. Unde in hac se potissimum Paullus gloriatur, quum se in tribulationibus gloriari (a) dicit. Hanc autem viam Dei filius tota vita sua non verbis solum, sed clarissimis etiam

Tom. III.

(a) Rom. 5. 3. (b) Isai. 53. 3. (c) Cant. 1. 12. (d) Hebræor. 6. 5.

exemplis docuit, quem (b) *virum dolorum, & scientem infirmitatem* Isaias appellavit. Ideoque sponsa in Cantic. (c) illum *fasciculum myrrhæ* vocat; quod tota ejus vita atque doctrina vix aliud quam congeries quædam & fasciculus amaritudinum, dolorum, lacrimarum, atque laborum fuerit. Quo fit, ut ille sit felicitior atque beatior, qui perfectissimo huic probitatis & sanctitatis speculo fuerit similitior. Huic autem beatitudini Dominus non, ut in præcedentibus, futurum, sed præsens promittit præmium, quum ait: *ipsorum enim est regnum calorum*. Jam enim (d) *gustarunt bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi*, qui non modo secundis fortunæ rebus, sed adversis etiam superioris facti sunt; quas pro nihilo ducunt, dummodo interna quidem in præsentibus, & æterna in futura vita felicitate potiuntur.

§. III.

Hæ sunt, fratres, certissimæ viæ, quibus ad hanc duplicem beatitudinem pervenitur. Sed quoniam altera solum inchoata, altera vero plena & perfecta esse dicitur; quid hæc

P

po-

posterior sit, quo vos alacriores ad has vias ingrediendas efficiam, paucis indicabo. Hæc igitur sive beatitudo, sive divina merces, ut quam brevissime definiam, infinitum, summum, plenissimum, &, ut ita dicam, universale bonum est. In eo namque omnes omnium rerum perfectiones, & laudes, omnis dignitas, omnis honestas, omnis jucunditas, omnis decor & pulchritudo, ac denique bonorum omnium summa continetur. Deus enim, qui rebus omnibus suam cuique perfectionem & decorem dedit, expers ejus perfectionis & laudis esse nullo modo potest, quam aliis dedit. Hinc D. Bernardus: *miraris, ait, in Sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem; a Deo hæc universa donata sunt.* Nec dubium, quin multo amplius reservaverit sibi, quam dederit creaturis. Quemadmodum enim stellarum omnium lumen a Solis lumine derivatur, quarum tamen omnium splendorem unus Sol non modo continet, sed etiam multo auctiorem & ampliorem continet; ita creaturarum omnium sive terrestrium, sive cælestium, sive corporearum sive incorpo-

rearum decor & pulchritudo a summo illo conditore profecta est: quarum tamen ipse pulchritudinem & perfectionem infinitis partibus ampliorem sibi reservavit.

Quid ergo miramur, creaturas a creatore longe superari, quum videamus, creaturas a creatura, hoc est, sidera a Sole splendoris magnitudine vinci? Quisquis igitur hoc summo & universali bono in cælis fruitur, omnium simul bonorum amplificata suavitate, omni decore & pulchritudine, omni gloria & dignitate, omnique jucunditate & delitiis plenissime fruitur. Quod quidem adeo verum est, ut si vel perfidum modo Judam omnipotens Dominus ab inferis evocaret, & vel unius horæ spatium hujus tantæ felicitatis compositum faceret; nullo modo posset hoc temporis spatium non summa jucunditate perfrui, summoque amore præsentem Dominum diligere. Sicut enim* aperti oculi præsentem lucem, aut attentæ aures sonum vocis non possunt non sentire; ita voluntas, oblata summi boni specie, non potest toto nisu in illud non ferri. Quæ quum ita sint, ubi, quæso, stulta mortalium avaritia est, quæ hujus

tan-

tanti boni desiderio non flagrat? Si enim videmus frequenter, homines alicujus egregiæ pulchritudinis amore ita capi, ut insanire quodam modo videantur; quid isti facerent, si infinitam illam pulchritudinem oculis usurparent, eaque non ad horam, sed sempiternis sæculorum ætatibus se fruituros esse crederent? Si enim vel una corporeæ pulchritudinis guttula sic eos inebriat; quid facerent, si immensum illud divinæ pulchritudinis pelagus ingrederentur?

His etiam addendum est, hujus boni fruitionem non ad unum aliquem sensum, sed ad omnes corporis sensus, & animæ vires permanere. Quod hujus vitæ bonis nullo modo convenire potest. Horum enim quædam aures melodia, quædam oculos venustate, quædam nares odoris fragrantia, quædam gustandi sensum saporis suavitate, quædam vero mentem dignitatis suæ specie demulcent: at hoc summum bonum, ut omnigenam in se pulchritudinem & decorem continet, ita quamvis intellectu potissimum apprehendatur, sic tamen in omnes animi vires & sensus corporis exundat, ut ni-

hil in tota hominis regione sit, quod non aliqua felicitatis hujus communione potiatur. Ita fit, ut in homine ad hunc modum glorificato absorbeatur id quod mortale est a vita; & ipse homo, hausta tot sensibus divinitatis gloria, in divinam quodam modo naturam transeat.

Est ne aliquid, quod huic tantæ felicitati addi possit? Est plane. Diximus enim paullo ante, his tantis bonis omnes sensus ac vires nostras eodem temporis momento frui. Quod in hac vita, vel ipso Aristotele teste, minime contingit; quæ, vehementem alicujus sensus voluptatem aliorum sensuum voluptates, quum illa valde percipitur, impedire, ait. Ut si quis, inquit, citharæ modulationi vehementer intentus, ea maxime delectetur, dicentem oratorem, quamvis facundum, aut non intelliget, aut minimam ex ejus oratione capiet voluptatem. At summa illa & æterna felicitas sic omnes hominis vires afficit atque permulcet, ut nullius suavitas alterius suavitatem impediatur aut intercipiatur, sed omnes simul suo quæque modo omnigena illa & multiplici jucunditate fruuntur.

P 2

Nunc

Nunc jam, fratres, quasi e
 celo descendentes, ad nos ip-
 sos redeamus. Num igitur
 hæc omnia, quæ diximus, ve-
 ra esse creditis? Nihil certe
 verius, quam quod veritas ipsa
 testata est. Num dignum esse
 arbitramini, ut omni studio
 ad hanc tantam felicitatem
 properemus, & hanc omnium
 curarum nostrarum primam ef-
 se ducamus, & aliquid etiam,
 quum ita opus fuerit, propter
 hoc tam ingens bonum patiamur?
 Non dubium, quin illud
 etiam concessuri sitis. Conces-
 sisset certe D. Augustinus, cu-
 jus hæc verba sunt: „ tanta est
 „ pulchritudo justitiæ, tanta
 „ jucunditas lucis æternæ, hoc
 „ est, incommutabilis verita-
 „ tis atque sapientiæ, ut et-
 „ iam si non liceret in ea
 „ amplius vivere, quam unius
 „ diei mora, propter hoc so-
 „ lum innumerabiles anni hu-
 „ jus vitæ, pleni delitiis, &
 „ circumfluentia temporalium
 „ bonorum, recte meritoque
 „ contemnerentur. Quoniam
 „ (a) melior est dies una in atriis
 „ tuis super millia. „ Hactenus
 Augustinus. Ex cuius verbis
 ita licebit argumentari. Si in-
 numerabiles anni, opibus at-

que delitiis hujus mundi re-
 ferti, propter unius diei glo-
 riam merito contemnendi es-
 sent; quid, quæso, propter
 sempiternam gloriam, nullo
 umquam die terminandam,
 nos facere par est? Si hæc igi-
 tur ita se habent, fratres, an
 non æquum erit, ut cum pro-
 pheta quæramus: (b) *Domine,*
quis habitabit in tabernaculo
tuo, aut quis requiescet in mon-
te sancto tuo? aut illud: (c)
quis ascendet in montem Domi-
ni, aut quis stabit in loco sancto
ejus? Quis, inquam, adeo fe-
 lix & fortunatus erit, qui ex
 hac ærumnosa lacrimarum val-
 le in superas illas oras evadat,
 & beatarum mentium choris
 adjunctus, conditoris sui fa-
 ciem lætus adspiciat? (d)

Felix, cali quæ præsentem re-
gem cernit, anima,

Et sub se despectat altam or-
bis volvi machinam,

Solem, Lunam, & globosa
cum planetis sidera.

Si quis igitur huc pervenire
 desiderat, habet in sacra præ-
 sentis evangelii lectione stratas
 ad cælum vias, quibus eo
 pervenire queat. Quarum pri-
 ma quidem est paupertas, qua
 immoderatam terrenorum bo-

(a) *Psalm. 83. 11.* (b) *Psalm. 14. 1.* (c) *Psalm. 23. 3.* (d) *Ex*
 hymno Petri Damiani.

norum cupiditatem a nobis
 abdicamus. Alia est lenitatis
 & mansuetudinis, qua illatas
 sive injurias sive contumelias
 patienter & leniter propter
 Deum ferimus. Alia est lacri-
 marum & luctus, quo & sce-
 lera nostra, & aliorum etiam
 pro affectu plangimus, & pro
 utrisque misericordiam Domi-
 ni deprecamur. Alia est san-
 ctorum desideriorum, quibus
 ad virtutis & pietatis studium
 incitatur; suppliciter a Do-
 mino petentes, ut nos deside-
 riorum nostrorum compotes
 efficiat. Alia est misericordiæ,
 qua, si nihil aliud præstare
 possumus, affectu tamen com-
 miserationis, miserorum vi-
 cem doleamus. Alia est cordis
 puritas atque mundiciæ, qua

omnem impuram cogitatio-
 nem a corde nostro summo
 studio & celeritate excutimus,
 ne cælestis sponsi lectulum la-
 be ulla inficiamus. Alia est ca-
 ritatis & pacis, quam, si fie-
 ri potest, quod in nobis sal-
 tem est, cum omnibus homi-
 nibus retinere debemus. Po-
 strema vero est, ut si, propter
 hæc justitiæ & pietatis officia
 præstanda, aut rerum nostra-
 rum jacturam, aut dedecus
 subire necesse sit; tunc se-
 rio gaudeamus & exultemus,
 quod merces nostra copiosa sit
 in cælis. Quo nos perducere
 dignetur, qui viam nobis ad
 gloriam salutaribus his moni-
 tis patefacere dignatus est: cui
 est gloria & imperium per infi-
 nita sæcula sæculorum. Amen.

